


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXIII.



M. JOANNE-LUDOVICO-MARIA SOLIER, Doctore Medico, Præside.

An consueta Parisinis, capitis & pectoris perpetua ferè nudatio, sit noxia.

I.



INFIRMA sanè corporis humani compages. Hujus origo stupenda, augmentum mirabile, duratio prodigium. Quam naviculæ fragili ventis & mari procelloso creditæ meritò comparaveris, brevi naufragium experturæ, nisi perito nautâ gubernetur. Diræ namque Libitinæ præda sæpè nondum natus homo, vitales vix carpsit auras cùm densa malorum ingruit cohors. Perfidum quandoque nutrimentum lac; infau-

ſtum naturæ munus dentes ; inſidioſa pubertas ; ſcopuloſa juventus ; diverſi generis angoribus diſcruciata conſiſtens ætas ; languida, veternoſa, triſtis, effœta ſenectus ; tota denique vita periculum. Cauſas omnes ſanitati perpetuò inſidiantes hîc recenſere non eſt animus. Nihil enim fermè rerum in naturâ reperias quod uſu præpoſtero damnum inferre nequeat : horum in viſcera dolosè irrepunt venenatæ metallorum particulæ ; illorum pulmones continuò afflat aër putridis effluviis, aut variâ intemperie noxius. Quid ! & horreſco referens , in vetitum nefas ruens gens humana , immani bellandi rabie percita impias in ſeipſam manus infert , proprioque ſanguine cruentat ; quaſi non jam ſatis facilis foret Averni deſcenſus. Quot autem letho dederit ingluvies , quis enumeret ? Quot tetra lues impuro concubitu contracta ? O miſerandam hominum ſortem ! quibus veneris ſacra tutò celebrare non licet , nec abſque mortis periculo vitæ fontes adire. Verùm dolendum magis neſcio , an culpandum humanum genus , cum hujus ea ſit indoles , ut quæ ad ſui utilitatem & commoda à naturâ comparata ſunt , ea in ſui perniciem artificioſè convertat. Sic quotidiano rerum nonnaturalium abuſu , infinitam propè malorum ſeriem in caput accerſunt rectè temperatèque vivendi rationis impatientes miſeri mortales. Rerum autem nonnaturalium nomine , cum Boherraavio intelligimus ingeſta , geſta , retenta & excreta , applicata corpori externè. Ad ultimam harumce claſſim meritò referuntur veſtimenta. Quantum autem corpori gratiam & elegantiam , tantum huic robur & ſanitatem conciliare ſeſe veſtiendi modum , neminem phyſicum latet. Perverſam,quâ tenella infantium corpora faſciis conſtringuntur , & puellarum loricis incarcerantur , methodum damnarunt alii ; multi ſtrictiorum collariorum , monilium , periſcelidum pericula ſcriptis & obſervationibus demonſtrarunt. Nos vero pro parte noſtrâ civium utilitati conſulere ſtudentes , conſuetam Pariſinis , capitis & pectoris perpetuam ferè nudationem aggredi , noxiamque hanc conſuetudinem evertere nobis proponimus. Felices , ſi quem ingenii levitas , inepta ridiculaque urbanitatis affectatio morem invexit , ab hoc ſaniorem populi partem avertere valeat rationis & medicæ artis auctoritas.

I I.

NULLA certè in Europâ civitas incolarum numero locupletior , cunctis vitæ commodis & delinimentis ditior , omni voluptatum ac deliciarum genere affluentior Lutetiâ. Huc undique terrarum confluunt in ingenuis artibus præſtantiſſimi artifices, in litteris & ſcientiis verſatiſſimi viri. Nuſquam tanta in veſtitu elegantia , in colloquiis hilaritas , in cœtibus urbanitas , in moribus comitas ; adeò ut quæ cæteras urbes amplitudine præcellit , eas amœnitate ſuâ & jucunditate facilè ſuperet. Verum eheu ! quàm multis incommodis compenſantur hæc bona ! Ex innumeris tum hominum , tum animalium diverſi generis corporibus , tum ſanis , tum ægrotis in anguſtis quoad plurimam partem , immundis , cœnoſis

ædibus glomeratim aggestis & velut incarceratis indesinenter per aëra disperguntur halitus putridi, sulphurei, salino volatiles; è Nosocomiis ubi mira reperitur ægrotantium varietas, diversa morborum effluunt semina; è sepulchretis tetra mortiferaque putrescentium cadaverum effluvia avolant, omnemque athmosphæram contaminant. Adde focorum ubique accensorum fumos perpetuò aëra petentes. Nec reticendum è flumine Sequanâ urbem integram ab oriente ad occidentem transfluente, omni tempore immensam aquearum molecularum exhalationem in aërem effusam, densas sæpè nebulas & caligines efformare. Ex quibus omnibus conficitur aëris elatere destituti, noxiis pestiferisque particulis fœti athmosphæra, quam tempore hiemali è campis urbi vicinis, nubem spissam atrorubentem urbi super extensam constituere, cuilibet intueri licet. Porro quis in physicis tantisper versatus inficias eat, adeò heterogeneis, putridisque particulis refertum, superficiei corporis applicatum & pulmonibus, tum solidis, tum fluidis corporis partibus, temporis lapsu labem inurere debere? Verùm, ne extrà propositos nobis cancellos divagemur, sufficiat in athmosphærâ Parisiensi duplicem tantum pravam qualitatem, humiditatem nempè, & elateris defectum ponderare. » Si *Boherraavio* fides, » nimium humidus aër laxat, solvir, debilitat fibras imprimis pulmonales, » serum pulmonum retinet, auget, accumulat, perspirationem in iis pro- » hibet; undè tusses, peripneumoniæ serosæ, diarrheæ similes, torpores, » & febres, &c...... Si nimium levis fuerit aur rarus, vasa humoresque » minùs premendo dilatat, rarefacit; hinc tumores, eruptiones humorum » eorum in loca minùs oportuna derivationes, indè morbos (n°. 732) » creat; sed tum minus valet vim contractilem dilatationi resistentem » in fibris pulmonicis superare; undè respiratio sistitur, sanguis ibi accu- » mulatur, peripneumonia velox, mors «. Quod autem de levitate & raritate aëris scripsit clarissimus Author, idem de aëre minus elastico sentiendum. Aërem autem effluviis è corporibus animalium exhalantibus fœtum, elatere orbari, pessimosque indè oriri effectus iu corpore probat invictè notissimum experimentum, quo animal in vacuo boyleano inclusum citò moritur, nisi languenti jam & penè suffocato novus & elasticus reddatur aër. Si autem aër aqueis moleculis fœtus, & elatere orbatus aër singulatim adeò noxios edunt in corpus humanum effectus; quid ex utrâque aëri impressâ qualitate eveniendum censes? nonne partes solidas relaxari, legitimo elateris gradu defraudari? nonne humores lentescere, inspissari, stagnare? excrementitias horum partes sive terreas & salinas, sive serosas retineri, accumulari? in varias cavitates præter naturam, & in textum cellulosum effundi? eadem igitur ac suppressa transpirationis insensibilis materies, symptomata pariunt aër nimium humidus simul & elatere orbatus; aut potius eâ solum ratione tanta tamque dira producunt, quod salutari huic obsistant excretioni. Hanc igitur omni ope atque operâ fovere, promovere, sustinere studeas, aut brevi minùs elastici nimiumque humidi aëris actione deletrice quassata corruet humana machina.

Vid. *Boherraav.* Instit. Medic. Aithiolog. Patholog. n°. 748. & 751.

III.

PROH Deûm ! quàm salutari adeò excretioni promovendæ, aut sustinendæ parum congrua Parisiorum vivendi ratio ! Ut verò certum quemdam in dicendo teneamus ordinem, duplicem nos juvat in classem dispertiri numerosam Lutetiis degentem civium turmam. Primam classem obtineant magnates, divites, & omnes illius ordinis cives qui facilem & tranquillam agunt vitam. Alterâ classe contineantur omnis generis opifices, ignobilisque plebs. Primi toto vitæ curriculo, mollitie, otio, deliciis diffluentes, à teneris unguiculis corpus debilitant, vires frangunt, inconsideratè, & immoderatè cupidinibus addicti, quas perversa morum institutio, colloquia obscena, pravaque exempla antè mentibus injiciunt, quam æstuantis naturæ conaminibus sufficere queant teneriora adhuc nondumque explicata organa; dein immodicâ vini & liquorum ardentium compotatione, ferculorum condimentorumque omnis generis ingurgitatione, sanguinem & humores inflammant, eosque maximâ particularum acrium & ferè causticarum congerie conspurcant. Istis alimentum simplex, commune, facilè parabile, stomachum movet. Diversa gulæ irritamenta seu potiùs venena, ex ultimis terræ regionibus magno sumptu conquisita, quotidiè vorant helluones avidi. Quid & naturam ipsam ad arbitrium flectere habiles; ab hâc invitâ, & reluctante tempestate, fructus extorquent & olera pravæ qualitatis, at istis eo gratiora quo majoribus impensis fuerunt comparata; inertia & remollita torpent eorum membra; lucis radiis perstringitur oculorum acies; & solis, qui cuncta naturæ entia benefico calore fovet & recreat, usuram cum vulgo dividere pudet. Ideò per majorem diei partem somno indulgentes, per noctes ludis, saltationi, aliisque voluptatibus dediti, perpetuò ferè pergræcantur. Indè per æstatem aqueorum ex humo noctu surgentium, capiti imprimis & pectori denudatis circumfusorum vaporum balneo quasi immerguntur; undè sistitur, & intrà poros retinetur insensilis transpirationis materies. Tum partes terreas acres, salino sulphureas, intrà cutis poros aëre frigido & humido constrictos, retentas, in corporis fluentum refundi; tum universam sanguinis & humorum massam particulis heterogeneis & noxiis redundare; tum febres putridas simplices & malignas, arthritidem, dolores arthritico rheumaticos, ischyadicos nephriticos, scorbutum, paralysim, aliorumque densam malorum catervam in corpus irruere. Sive ad miliares cutis glandulas appellens noxius humor, eas constringit, distendit, tumefacit, exulcerat; impetiginem, lichenem, scabiem, herpetem, erisipelas pariturus; sive organa generationi dicata perreptans in fœminis, fluorem album, mensium suppressionem, sterilitatem, passionem hystericam, in mammarum glandulis infarctus, tumores scirrhosos, carcinomata producturus.

Hyeme verò, cubiculis accuratissimè clausis, levissimæ aëris externi auræ aditum denegantibus incarcerati desidiosi isti homines, athmosphæ-

tam igneam hauriunt. Quid mirum igitur, si viri molles & effœti, si teneræ & exquisito sensu prædita matronæ, humoribus, poris, & vasis tum superficiem corporis appellentibus, tum pulmones irrigantibus & constituentibus, immodico caloris gradu laxatis, rarefactis & expansis, ad primum aëris externi frigidi contactum repentè horreant & concrescant? Nonne subitaneâ hâc frigoris vi coarctari & constringi cutis poros, imprimis in capite & pectore denudatis, & penitùs occludi ostiola vasculorum excretoriorum in intimâ bronchiorum tunicâ disseminatorum? Nonne salino sulphurea acris excernenda materies, quæ modo per varia hæc emunctoria patula avolabat, præcisâ tunc viâ remanebit, vasa distendet, infarciet, nervos convellet, brevi catharros, tusses, peripneumonias, pleuritides, asthmata humida procreatura? Pluries tandem repetitâ nocivâ hâc frigoris actione, nonne vasa pulmonum & cerebri alternum hunc & violentum affluxum humorum & refluxum, repetitis vicibus passa, debiti toni jacturam, distensiones, obstructiones, dilacerationes pati necessum est? Quas presso pede sequentur capitis dolores diuturni, hemicraniæ, coryzæ, paralyses, apoplexiæ, hæmophtises, tusses chronicæ, phtyses, pulmonum tubercula, ulcera, lenta licet immatura mors.

At relictis aureis divitum lacunaribus, humilia plebis tecta subeamus. Viles ibi, ut loqui amant superbi, inveniemus homines quorum saluti etiam providere, nostræ pietatis & officii ratio postulat; quos aspernari & negligere inhumanum foret, & Medico scelus. Mecum igitur intueamini immensam hanc operariorum & artificum turbam. Hos videas capitibus equidem passim opertis, at reliquo ferè omni corpore nudo, aut tantùm detritis & laceris pannis adeò malè deffenso, ut milleni ventis & frigori pateant aditus; hos inquam videas totâ die operari, indefinenti ferè, duroque labore frangi, modo præ frigidâ aëris intemperie rigere, modo præ violentiori exercitio, sudore diffluere, tuncque vestes deponere, caput & pectus nudare, membra laboribus quassata ad quietem aut somnum humi componere. Mireris igitur miseros istos in posterum corripi catharro, tussi, asthmate, arthritide vagâ, paralysi, peripneumoniâ, pleuritide, eò periculosioribus huic hominum generi morbis, quò tardius præ laboris necessitate, & inopiâ rerum, ad efficacia confugiant remedia?

I V.

QUAM certioribus Phisiologiæ principiis consentaneam in medium protulimus opinionem, hanc quotidiana comprobat Clinicorum experientia. Nullâ enim Galliarum in urbe æquè ac Parisiis, tanta occurrit morborum pectoris frequentia. Quot apud optimates puellæ vix puberes, aut juventutem primo limine salutantes, ante diem concidant hæmophtisi, tussi, lentâ tabe consumptæ, quis nostrûm nescit? Quis adeò segnis inter nos, qui non observaverit maximam partem ægrotantium in Nosocomiis

decumbentium, morbis pectoris laborare? Quis noſtrûm oblitus eſt conſtitutionis catharralis epidemicæ, anno proximè elapſo, per totam hanc urbem graſſatæ? Hæc primo vere incepit, ad mediam uſque æſtatem debacchata; tunc ulterius provectâ calidâ cœli tempeſtate, per menſem unum aut alterum ſiluit; mox per integrum autumnum ferocius recrudeſcens, omnes fermè hujuſce urbis incolas, nullo diſcrimine habito ſexûs corripuit: initio levis, diætæ, diaphoreticis, attenuantibus, vomitoriis, purgantibus facilè cedens; ſub finem gravior, nec niſi iteratis venæ ſectionibus, diluentibus, antiphlogiſticis abigenda. Cur, precor, in febribus ardentibus, bilioſis, putridis, & malignis, cerebrum & pulmones præcipuè petat materies morboſa, & in his abſceſſus lethales pariat? Fas ſit dicere quæ ſentio: ſic ſe res habet: pravâ noſtratium conſuetudine, nuda ferè ſemper ſunt caput & pectus; undè repreſſa tranſpirationis materies in viciniora pulmonum & cerebri vaſa refunditur; turgent igitur hæc vaſa, diſtenduntur, debilitantur; tuncque à quacumque causâ ortâ febre, rarefactis, expanſis & velocius actis humoribus, ſanguis vividius in viſcerum horumce vaſorum parietes impingit, extremitates urget, dehiſcere cogit, lateralia vaſcula infarcit, in his ſtagnat, putreſcit, gangrænam aut abſceſſus efficit. Simili de causâ, frigori intenſo ſuccedente mitiori, calidâ ſcilicet, & humidâ cœli temperie, crebriùs Pariſiis quàm ullis aliis hujuſce imperii locis, ingruere apoplexias & peripneumonias cenſemus. Nec aliundè repetendam originem paſſionis hyſtericæ frequentius Pariſias mulieres diſcruciantis ſentiet Medicus, qui paulò ſerius perpenderit quantùm ab illarum regimine diſcrepet provincialium vivendi ratio: prætermiſſis enim aliis circumſtantiis, minùs deſidioſam, & exercitatam magis vitam degunt hæ mulieres; elegantiori minùs, at ſalubriori modo pectus accuratè tegunt; undè facilius & copioſius ſuccedit inſenſilis per cutis poros excretio. Ab hujus autem excretionis penuriâ oriri paſſionem hyſtericam invictè probat prothei-formis iſtius morbi curatio, quæ tonicis, ſtomachicis, & (ut clariſſimi *Sydhenam* verbis utar) invigorantibus medicamentis, motu muſculari gradatim aucto, omnibus tandem mediis quæ tranſpirationem reſtituere & augere valent, ritè perficitur.

V.

EX œconomiæ animalis legibus facilè fluere, obſervationibus Medico cuilibet quotidiè obviis noſtram hypotheſim inniti, probavimus. Ad concluſionem igitur properare quid vetat? obſtabit ne, qui jam dudùm invaluit mos contrarius? indecorum, credo, foret lepidos & bellulè comptos homunculos, agreſtes & ruſticos incompoſitâ cæſarie fieri? Nobiles & venuſtas mulierculas, leporibus & illecebris per invidioſa ſtrophia velatis dehoneſtari? Abſit à nobis opinemur eousquè ſtoliditatis proceſſiſſe gentem noſtram, ut ſanitati & longævitati ſtultum anteponat uſum. At forſan quiſpiam contendet, falſo nos, à capitis & pectoris continuâ nudatione, infinitam propè malorum ſeriem oriundam cenſere, cum viatorum rela-

tionibus certo constet, plures in Americæ locis Barbaros & incultos homines, longam, vegetam, & morbis immunem vitam traducere; quamvis non solùm caput & pectus, verùm & integrum corpus nudum semper aëri exponatur. Verùm quænam, quæso, instituenda comparatio inter homines barbaros, ferarum more, per silvas vagantes, quorum prima fibrarum stamina ab origine firma, ab incunabulis variâ athmosphæræ intemperie densata & constricta gradatim induruerunt, & homines communi legum & artium vinculo alligatos & politos, qui prima corporis rudimenta debilia receperunt à parentibus, inertem & desidiosam agunt vitam, & corpus adversus aëris mutationes, domibus, & vestimentis variis pro diversâ tempestate deffendunt; qui humores ingestis acribus inquinant & corrumpunt; quorum deniquè fibræ tenues & sensibiles, levissimâ causâ in motus inordinatos aguntur? Fac homunciones nostri firmâ barbarorum texturâ gaudeant, tuncque parum de cooperiendis eorum capitibus & thoracibus erimus solliciti. Fac delicatulas nostras mulieres derelictis mollibus lectis & pulvinaribus sub aprico decumbant impunè, fœtus suos feliciter edant in ripâ fluminis aut rivuli, seque, tenellisque infantibus aquâ transfluente immersis & abstersis, alacres domum protinus redeant; tuncque per nos licebit, nudum pectus aëri quantumvis frigido exponant. Vultis, ô fœminæ, pars humani generis gratior & venustior, fluore albo, passione hystericâ, hæmophtisi, phtisi, carcinomate, &c. expertes & fortunatos dies agere? Dociles Apollinis arti præbeatis aures. Cunctos transpirationi obices removere assiduo invigiletis; nec nisi legitimâ flagranti cupidine sponso, aut dulci nato materna ubera sugere amanti nivea pandatis pectora: aut si vos parum vestri tangit cura, illud mentibus perpetuò infixum habeatis, vos patriæ subditos, & conjugibus natos sanos & valentes debere, non pusillos qui valetudine infirmâ, & ærumnosâ vitâ, delicta vestra luant aliquando. Et vos, ô viri Parisii, indecorum Gallis torporem excutite: ineptam hanc cultûs & ornatûs affectationem mulierculis relinquite; sanitas illibata, corporis robur, animi firmitas vestra sint. Hæc vera sunt bona Gallorum & ornamenta. Per hæc longè latèque sui nominis, & imperii Gallici gloriam disseminaverunt virtute bellicâ insignes majores nostri. Hæc laboribus, exercitationibusque corporis, arte scilicet gladiatoriâ, luctâ, pilæ ludo, equitatione comparetis. Utque per universam cutis superficiem foveatur aurea transpiratio, nunquam capite & thorace denudatis palam conspiciemini. Sic felici experientiâ nostram stabilietis conclusionem.

Ergò consueta Parisinis, capitis & pectoris perpetua ferè nudatio, est noxia.

Proponebat Parisiis JOANNES-BAPTISTA-ALEXANDER MAIGRET, Parisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1763.
A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1763.